



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Articvlvs I. Vtrum anima Christi habuerit omnipotentiam simpliciter.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82325](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82325)

QVÆSTIO DECIMATERTIA.

De potentia anime Christi, in quatuor articulis diuisa.

DEinde considerandum est de potentia anime Christi. Et circa hoc queruntur quatuor.

Primo, vtrum habuerit omnipotentiam simpliciter.

Secundo, vtrum habuerit omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.

Tertio, vtrum habuerit omnipotentiam respectu proprii corporis.

Quarto, vtrum habuerit omnipotentiam respectu executionis sue voluntatis.

Ratio ordinis.

DVas habet partes hæc quæstio. Prior, quæ tres primos complectitur articulos, tres potentiarum modos excludit ab anima Christi. Posterior, quæ vltimo continetur articulo, vnum illi modum omnipotentiarum conuenientem examinat. In excludendis autem tribus illis modis procedit secundum ordinem elongationis eorum ab anima Christi; quia magis illi repugnantes facilius excluduntur; constat autem magis animæ Christi repugnare omnipotentiam simpliciter, de qua primus agit articulus, quam omnipotentiam respectu immutationis creaturarum; de qua secundo tractatur articulo; & hanc maiorem habere repugnantiam, quam omnipotentia respectu proprii corporis; de qua tertio disputatur articulo.

ARTICVLVS I.

Vtrum anima Christi habuerit omnipotentiam simpliciter.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod anima Christi habuerit omnipotentiam. Dicit enim Ambrosius per Luc. Potentiam, quam Dei filius naturaliter habet, homo erat ex tempore accepturus. Sed hoc præcipue videtur esse secundum animam, quæ est potior pars hominis. Cum ergo Filius Dei ab æterno omnipotentiam habuerit, videtur, quod anima Christi ex tempore omnipotentiam accepit.

Præterea: Sicut potentia Dei est infinita, ita etiam, & eius scientia. Sed anima Christi habet omnium scientiam, quæ sit Deus quodammodo: vt supra dictum est. Ergo etiam habet omnium potentiam, & ita est omnipotens.

Præterea: Anima Christi habet omnem scientiam. Sed scientiarum quedam est practica, quedam speculatiua. Ergo habet eorum, quæ sit, scientiam practica, vt scilicet facere ea, quæ scit. Et sic videtur, quod omnia facere possit.

Sed contra: Illud, quod est proprium Dei non potest alieni creatura conuenire. Sed proprium est Dei esse omnipotentem: secundum illud Exod. 15. Iste Deus meus, & glorificando eum. Et postea subditur, Omnipotens nomen eius. Ergo anima Christi cum sit creatura, non habet omnipotentiam.

Respondetur dicendum, quod sicut supra dictum est, mysterio incarnationis, ita facta est vnio in persona, quod tamen remansit distinctio naturarum, vtraque scilicet natura retinente id, quod sibi est proprium. Potentia autem actiua cuiuslibet rei, sequitur formam ipsius, quæ est principium agendi. Forma autem, vel est ipsa natura rei, sicut in simplicibus, vel est constituens ipsam rei naturam, in his scilicet, quæ sunt composita ex materia, & forma. Vnde manifestum est, quod potentia actiua cuiuslibet rei, consequitur naturam ipsius. Et per hunc modum, omnipotentia

A consequenter se habet ad diuinam naturam. Quia enim natura diuina est ipsum esse Dei incircumscriptum (vt patet per Dionys. cap. 5. de Diuin. nom.) inde est, quod habet potentiam actiuam respectu omnium, quæ possunt habere rationem entis, quod est habere omnipotentiam. Sicut, & qualibet alia res habet potentiam actiuam respectu eorum, ad quæ se extendit perfectio sua natura: sicut calidum ad calefaciendum. Cum igitur anima Christi sit pars humane nature, impossibile est, quod omnipotentiam habeat.

Ad primum ergo dicendum, quod homo accepit ex tempore omnipotentiam, quam Filius Dei habuit ab æterno per ipsam vnionem persone: ex qua factum est, vt sicut homo dicitur Deus, ita dicatur omnipotens. Non quasi sit alia omnipotentia hominis, quam filij Dei, sicut nec alia Deitas: sed eo quod est vna persona Dei, & hominis.

B Ad secundum dicendum, quod alia ratio est de scientia, & potentia actiua: sicut quidam dicunt. Nam potentia actiua consequitur ipsam naturam rei, eo quod actio consideratur, vt egrediens ab agente. Scientia autem non semper habetur per ipsam essentiam scientis, sed potest haberi per assimilationem scientis ad res scitas, secundum similitudines susceptas. Sed hæc ratio non videtur sufficere: quia sicut aliquis potest cognoscere per similitudinem susceptam ab alio, ita etiam potest agere per formam ab alio susceptam: sicut aqua, vel ferrum calefacit per calorem susceptum ab igne. Non ergo per hoc prohibetur, quin sicut anima Christi per similitudines omnium rerum sibi à Deo inditas potest omnia cognoscere, ita per easdem similitudines possit ea facere.

Est igitur vltius considerandum, quod ad, quod à superiori natura in inferiori recipitur, habetur per inferioriorem modum: non enim calor in eadem perfectione, & virtute recipitur ab aqua, quæ est in igne. Quia igitur anima Christi inferioris natura est, quam natura diuina, similitudines rerum non recipiuntur in ipsa anima Christi secundum eandem perfectionem. & virtutem, secundum quam sunt in natura diuina. Et inde est, quod scientia anime Christi est inferior scientia diuina, quantum ad modum cognoscendi, quia Deus perfectius cognoscit res, quam anima Christi: & quantum etiam ad numerum scitorum; quia anima Christi non cognoscit omnia, quæ Deus potest facere, quæ tamen Deus cognoscit scientia simpliciter intelligentia, licet cognoscat omnia præsentia, præterita, & futura, quæ Deus cognoscit scientia visionis. Et similiter similitudines rerum, anime Christi indite, non adæquat virtutem diuinam in agendo, vt scilicet possint omnia agere, quæ Deus potest, vel etiam eo modo agere, sicut Deus agit, qui agit infinita virtute, cuius creatura non est capax: Nulla autem res est, ad cuius cognitionem aliquam habendam requiratur virtus infinita, licet aliquis modus cognoscendi sit virtutis infinite: quedam tamen sunt, quæ non possunt fieri, nisi à virtute infinita, sicut creatio, & alia huiusmodi: vt patet ex his, quæ in prima parte dicta sunt. Et ideo anima Christi, quæ cum sit creatura, est virtutis finita, potest quidem omnia cognoscere, sed non per omnem modum: non autem potest omnia facere: quod pertinet ad rationem omnipotentie. Et inter cætera manifestum est, quod non potest creare seipsam.

Ad tertium dicendum, quod anima Christi habuit, & scientiam practica, & speculatiua: non tamen operet, quod omnium illorum habeat scientiam practica, quorum habuit scientiam speculatiua. Ad scientiam enim speculatiua habendam sufficit sola conformitas, vel assimilatio scientis ad rem scitam: ad scientiam autem practica requiritur, quod forma rerum, quæ sunt in intellectu, sint factiua. Plus autem est habere formam, & imprimere formam habitam in alterum, quam solum habere formam: sicut plus est lucere, & illuminare, quam solum lucere. Et id est, quod anima Christi habet quidem speculatiua scientiam creandi (scit enim qualiter Deus creat) sed non habet huius rei scientiam practica: quia non habet scientiam creationis factiua.

Q9 4 Sensus

Sensus Quæsti.

DICTIO illa *simpliciter* dupliciter sumi potest: Vno modo, ut idem est quod absolute siue nullo addito; Alio modo, prout idem est quod omnibus modis: hic sumitur utroque modo; & primo quidem modo sumi indicat conclusio, quæ respondetur quæsito; quæ in actu exercito de omnipotentia loquitur absolute, id est sine addito, negans omnipotentiam animæ Christi convenire. Secundum autem sensum indicant tres sequentes articuli, in quibus quæritur de omnipotentia cum addito limitante, ad immutationem creaturarum, ut in artic. 2. vel ad proprium corpus, ut in tertio; vel ad executionem propriæ voluntatis, ut in quarto. Coincidunt enim in re præsentem primus & secundus sensus; ut infra dicemus.

Forma Textus.

CONCLUS. est: impossibile est, quod anima Christi omnipotentiam habeat. Probat: quia omnipotentia consequitur ad divinam naturam; sed anima Christi non est naturæ divinæ, sed est pars humanæ naturæ; ergo impossibile est, &c. Maior probatur: quia divina natura est ipsum esse incircumscriptum; ergo habet potentiam actiuam respectu omnium, quæ possunt habere rationem entis, quod est habere omnipotentiam. Antecedens probatur: quia potentia actiuæ cuiuslibet rei consequitur naturam ipsius; ergo omnipotentia consequitur naturam divinam, quæ est ipsum esse. Antecedens probatur: quia potentia cuiuslibet rei sequitur formam ipsius, quæ est principium agendi; & est idem quod ipsa natura rei, ut in simplicibus; vel est constituens ipsam naturam rei, ut in compositis ex materia & forma. Cōsequentia vero probatur: quia quælibet res habet potentiam actiuam respectu eorum, ad quæ se extendit perfectio suæ naturæ; sicut calidum ac calefaciendum; igitur natura divina, ex hoc, quod est tantæ perfectionis, ut sit ipsum esse incircumscriptum, habet potentiam actiuam respectu omnium. Minor vero principalis argumenti probatur: Quia in mysterio Incarnationis, ita facta est unio in persona, ut tamen remaneret distinctio naturarum, utraque scilicet natura retinente id, quod sibi est proprium.

Expositio Textus.

OBSErvandum est primo; quod licet perfectiones omnes & attributa Dei sunt infinita simpliciter, nec possint creaturæ nisi finito modo communicari; differentia tamen est in nominibus divinas perfectiones & attributa significantibus; Nam quædam Dei perfectionem significant absolute, ut sapientia bonitas & potentia; & hæc etiam absolute, id est, sine addito communicantur creaturis, & de illis prædicantur; non tamen uniuoce, sed analogice. Quædam autem perfectionem significant cum infinitate, siue sint complexa, ut actus purus, prima causa, esse per essentiam, &c. siue sint incomplexa; ut Deitas, & omnipotentia; & hæc simpliciter non communicantur creaturis, aut de illis prædicantur, sed ab eis absolute remouentur; & ideo S. D. quæsito respondens interroganti; Vtrum anima Christi habuerit omnipotentiam simpliciter, respondet absolute animam Christi non habere omnipotentiam. Nomen enim omnipotentia virtutem significat respicientem omnia, quæ non implicat contradictionem; quod idem significat omnipotentia simpliciter; ac proinde non differunt omnipotentia, & omnipotentia simpliciter; cum utriusque sit idem obiectum & eadem significatio.

A Secundo aduerte quasdam perfectiones operatiuas, seu virtutes actiuas soli Deo, ut supremam ac principali causâ convenientes posse creaturæ, saltem ut instrumento, communicari; ut virtus causandi gratiam & potestas miraculorum; Quibusdam autem repugnat ita communicari; quoniam ex sua ratione vendicant sibi infinitatem simpliciter; ut potentia creandi, siue principaliter, siue instrumentaliter; ut ostendimus in i. p. q. 45. art. 5. & ob eandem causam nullo modo potest omnipotentia communicari creaturæ; quia ratio omnipotentia est ratio causæ principalis & independentis, dicit enim virtutem omnia possibilia respicientem; & ideo manifesta contradictio est dicere omnipotentiam esse virtutem instrumentalem aut causam minime principalem. Causa namque omnis instrumentalis & secundaria per influxum mouetur à principali agente derivatâ; hunc autem influxum nulla potest creatura in semetipsa producere, per hunc enim influxum causa instrumentalis constituitur in ratione causæ agētis, & ab eodem influxu ceteræ causæ principaliter agentes recipiunt complementum, quo sunt actu causæ; prius natura, quam operentur. Constat autem nullam causam efficientem posse in se ipsa producere rationem formalem, per quâ in esse causæ constituitur aut eiusdem rationis complementum. Et confirmatur: quia influxus ille est effectus proprius, & libere productus à prima & vniuersalissima causa, quatenus illi subordinatur essentialiter omnes alia causæ; igitur à nulla alia produci potest. Confirmatur secundo & explicatur: quia influxus ille dicit dependentiam essentialem secundæ causæ, quatenus actu causa est à prima dependens; at nulla causa secunda potest operari seu causare independentem à prima; ergo nulla causa secunda potest in seipsa, vel in alia producere dictum influxum, quo ad agendum mouetur à prima.

Tertio notandum est personalitatem infinitam simpliciter potuisse communicari animæ Christi, & toti eius humanitati; quia terminare naturam ut sic, non fit per informationem, nec ullam dicit imperfectionem; & eadem ratione potuit etiam existentia diuina eidem animæ & naturæ communicari: quia per eam non informatur natura; sed hoc ipso, quod assumpta natura terminatur diuina personalitate, existit existentia diuinæ personæ, ut ostendimus infra qu. 17. art. 2. potentia vero ex sui ratione subordinatur naturæ, & eam informat; quod omnipotentia repugnat respectu naturæ finitæ. Probat antecedens: nam Aristot. in 2. de anima, probat animam esse actum corporis; quia est, quo viuimus, sentimus, &c. id est principium viuendi, sentiendi, &c. cum autem sit duplex operationis principium scilicet primum & proximum, natura siue forma substantialis est primum agendi principium; potentia vero principium est agendi proximum naturæ subordinatum; constat autem omnipotentia non esse creaturæ comunicabilem in ratione naturæ seu principij primi, alioquin creatura iam non esset creatura, sed esset Deus ipse creator; igitur si creaturæ communicaretur omnipotentia, communicaretur in ratione potentia quæ naturam informaret & ei subordinaretur. Ex quibus patet, cur per Deitatem potuerit sanctitas assumptæ naturæ comunicari, non autem omnipotentia; hæc enim sanctitatis communicatio non fit per informationem, sed per unionem hypostaticam personæ sanctitatem habentis infinitam.

Circa primum argum. & eius responsum aduerte non solum Ambros. sed multos alios Patres eadem

eadem vlos fuisse forma loquendi, atque eorum dicta esse eodem modo interpretanda. Ex his vero quidam etiam affirmant humanitati vel animae fuisse communicatam omnipotentiam; ita Damasc. lib. 3. de fide, c. 8. Nicetas in tractatu de Anima. Cyprianus lib. de Incarnat. c. 8. & Hieronymus. ut refert Eusebius in Epist. ad Damasum, quae inserta est operibus D. Hieron. in quorum dictis accipiendum est abstractum pro concreto; ut scilicet humanitas posita sit pro homine, & anima pro habente animam; vel non de omnipotentia simpliciter loquuntur dicti Patres, sed de quadam excellenti potestate animae, & humanitati Christi singulariter communicata in ordine praesertim ad media fini redemptionis congruentia: quomodo possunt etiam accipi verba illa Domini Matth. ultimo: Data est mihi omnis potestas in caelo, & in terra, & illa Ioan. 13. Pater dedit ei omnia in manus: quamvis non incongrue plures ex patribus eam traditionem, & acceptionem pro aeterna generatione interpretantur.

Conciliatur dicta S. Thom.

Circa respons. ad tertium, ubi Caiet. affirmat D. S. correxisse modum loquendi de scientia practica animae Christi, quo vsus fuerat in 3. dist. 14. art. ultimo, ad 2. aduerte facile posse vtrumque dicendi modum conciliari dicendo scientiam aliquam dupliciter esse practicam: Vno modo, quia suum obiectum, & ea quae sub eo continentur, considerat, quatenus ex eis sumi potest aliqua ratio morum, ita ut circa ea versetur, quatenus ex eis desumitur species, bonitas, aut malitia actionum humanarum in genere moris. Alio modo dicitur aliqua scientia practica; quia est effectiua seu productiua obiecti per eam considerati. Sumendo itaque practicum primo modo affirmat S. D. scientiam animae Christi esse practicam eminentem; quo etiam modo diximus in 1. p. q. 1. art. 4. nostram Theologiam esse practicam eminentem; hic vero negat esse practicam secundo modo, dicens ad scientiam practicam requiri, ut forma rerum, quae sunt in intellectu, sint factiuae, & animam Christi non habere scientiam practicam creandi, quia non habet scientiam creationis factiuae. Vide etiam quae scribit Vatq. dist. 31. sect. 1.

ARTICVLVS II.

Virum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod anima Christi habeat omnipotentiam respectu immutationis creaturarum. Dicit enim ipse Matth. ult. Data est mihi omnis potestas in caelo, & in terra. Sed nomine caeli, & terra intelligitur omnis creatura: ut patet, cum dicitur Genes. 1. In principio creauit Deus caelum, & terram. Ergo videtur, quod anima Christi habeat omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.

a. 4. tom. 1.

Præterea: Anima Christi est perfectior qualibet creatura, sed qualibet creatura potest moueri ab aliqua creatura: dicit enim Augustinus in tertio de Trinitate, quod sicut corpora celsiora, & inferiora, per subtiliora, & potentiora quodam ordine reguntur: ita omnia corpora per spiritum vitam rationalem, & spiritus vitam rationalem desertor, atque peccator, per spiritum vitam rationalem, pius, & iustus. Anima autem Christi etiam ipsos supremos spiritus mouet, illuminando eos: ut dicit Dionys. 7. cap. Cel. hierarch. ergo videtur, quod anima Christi habeat omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.

Præterea: Anima Christi habuit plenissime gratiam miraculorum, seu virtutum, sicut & ceteras gratias. Sed omnis immutatio creaturae potest ad gratiam miraculorum pertinere, cum etiam miraculose celestia corpora à suo ordine immutata fuerint: sicut Dion. probat in Epist. ad Po-

lycar. Ergo anima Christi habuit omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.

Sed contra est, quod eiusdem est transmutare creaturas, cuius est eas conseruare. Sed hoc est solius Dei, secundum illud Heb. 1. Portans omnia Verbo virtutis sue. Ergo solius Dei est habere omnipotentiam respectu immutationis creaturarum. Non ergo hoc conuenit anima Christi.

Respondetur dicendum, quod hic duplici distinctione est opus. Quarum prima est ex parte transmutationis creaturarum: quae triplex est. Vna quidem est naturalis, quae scilicet fit à proprio agente secundum ordinem naturae. Alia vero est miraculosa, quae fit ab agente supernaturali, supra consuetum ordinem, & cursum naturae: sicut resuscitatio mortuorum. Tertia autem est secundum quod omnis creatura vertibilis est in nihil. Secunda autem distinctio est accipienda ex parte animae Christi, quae dupliciter considerari potest. Vno modo secundum propriam naturam, & virtutem; alio modo, prout est instrumentum Verbi Dei, sibi personaliter vniti. Si ergo loquamur de anima Christi secundum propriam naturam, & virtutem siue naturalem, siue gratuitam, potentiam habuit ad illos effectus faciendos, qui sunt animae conuenientes: puta ad gubernandum corpus, & ad disponendos humanos actus, & etiam ad illuminandum per gratiam, & scientia plenitudinem, omnes creaturas rationales ab eius perfectione deficientes, per modum, quo hoc est conueniens creaturae rationali. Si autem loquamur de anima Christi, secundum quod est instrumentum Verbi vniti, sic habuit instrumentalem virtutem ad omnes immutationes miraculosas faciendas ordinabiles ad Incarnationis finem: quae est instaurare omnia, siue quae in caelis, siue quae in terris sunt. Immutationes vero creaturarum, secundum quod sunt vertibiles in nihil, correspondent creationi rerum: prout scilicet produciuntur ex nihilo. Et ideo, sicut solus Deus potest creare, ita solus potest creaturas in nihilum redigere: qui etiam solus eas in esse conseruat, ne in nihilum decidant. Sic ergo dicendum est, quod anima Christi non habet omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Hier. dicit, illi potestas data est, qui paulo ante crucifixus, qui sepultus in tumulo, qui postea resurrexit, id est Christo, secundum quod homo. Dicitur autem sibi omnis potestas data, ratione rationis per quam factum est, ut homo esset omnipotens: ut supra dictum est. Et quantum hoc ante Resurrectionem innotuerit Angelis, post resurrectionem tamen innotuit omnibus hominibus: ut Remigius dicit. Tunc autem dicuntur res fieri, quando innotescunt: & ideo post Resurrectionem dicit Dominus sibi datam omnem potestatem in caelo, & in terra.

Ad secundum dicendum, quod licet omnis creatura sit mutabilis ab alia creatura præter supremum Angelum, qui tamen potest illuminari ab anima Christi, non tamen immutatio omnis, quae potest fieri circa creaturam, potest fieri à creatura: sed quaedam immutationes possunt fieri à solo Deo. Quaecunque tamen immutationes possunt fieri per creaturas, possunt etiam fieri per animam Christi, secundum quod est instrumentum Verbi, non autem secundum propriam naturam, & virtutem: quia quaedam huiusmodi immutationum non pertinent ad animam, neque quantum ad ordinem naturae, neque quantum ad ordinem gratiae.

Ad tertium dicendum, quod (sicut dictum est in secunda parte) gratia virtutum, seu miraculorum datur animae alicuius Sancti, non ut propria virtute ei conueniat miracula facere, sed ut per virtutem diuinam huiusmodi miracula fiant. Et hac quidem gratia excellentissime data est anima Christi, ut scilicet non solum ipse miracula faceret sed etiam ut hanc gratiam in alios transfunderet. Vnde dicitur Matthaei decimo, quod conuocatis duodecim Discipulis, dedit eis potestatem spiritum immundorum, ut eicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem.

Ratio